



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad  
Dominicam Septuagesimæ

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Die 7. Ianuarii. De reditu Magorum in patriam suam, per aliam viam. Non  
aliud, sed aliter.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44194**

lus: Quasi diceret, quidquid in nobis majus est, in corde nostro est, sive in ea nostri parte quæ capax est Dei possidendi. At quantumcunque pars illa sit capax & magna, major est tamē Deus, cui toti totaliter capiēdo, nil par creatum esse potest, cum se Ipse solus comprehendat.

Atq; hæc intelligere & crebrò cogitare multum prodest ad Praxim servitutis nostræ, tanto Regi fidelius exhibendæ. Sic enim purior est noster animus qui Christi meritum magis spectat quàm ullam inde nobis promanantem utilitatē. Sic nos illi magis ac magis subdimus, cum quantumcunque obsequii deferamus, major sit Ille omni laude, major omni obsequio. Sic quàm insipienter illi agant evidentius patet, qui se ab Illo subtrahunt, quo nullus sapientior ad regendum, nullus potentior ad protegendum, nullus

æquior ad imperandum vel exigendum, nullus melior ad beneficiendum, nullus major ad beandem. Et tamen quàm illi multi sunt, qui se ab Illo subtrahant! Quàm verè S. Augustinus: *Modo multi Christum Regem in cælo sedentem, & ubiq; regnantem habere nolunt.*

O quàm justè, quàm providè præmaturo interitu puniuntur illi qui talem tantumque Regem nolunt in se regnare! Quamquam quid gravius, quid acerbius non ad culpam modo, sed ad pœnam, quam hoc nolle? Quid enim est nolle, nisi se à pacato Rege ad iratum convertere? Quid est hoc nolle, nisi malle à sua prava cupiditate regi, quàm à Divina Sapientia? nisi malle ibi vivere ubi loco Christi, Dæmon regnat! Potestne gravius aliquid cogitari?

## DIE VII. IANVARII.

NISI SIT DOMINICA, CVIVS PROPRIA MEDITATIO HABETVR INFRA, DIE DVODECIMA, IN DECVRSV HISTORIÆ EVANGELICÆ.

DE REDITU MAGORUM IN PATRIAM SUAM.

*Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem: per aliam viam reversi sunt in Regionem suam.* Matth. 2.

### VERITAS PRACTICA.

Non aliud, sed aliter.

**SENSVS EST,** Quod consilia melioris vite, non tam sapè spectant aliud in agendo, quàm modum & finem agendi; Non aliud in re & substantia, sed aliter in modo & fine.

**RATIO EST,** Quia ibi sunt figenda consilia melioris vite, ubi magis deficiamus.

Sed ordinariè magis deficiamus in modo & fine agendi, quàm in substantia rerum agendarum.

Ergo illa consilia non tam spectant aliud in agendo seu aliud in re & substantia, quàm ut aliter in modo & in fine agatur.

### I. PUNCTUM.

**A**UT indignus erat Herodes, cæterique Judæi qui Magos audirent, referentes ea quæ viderant & fecerant, aut periculum erat Magis, ne male à Judæis haberentur, & à fide atq; à religione avocarentur: quam obrem admonentur in somnis, ne quæ venerant revertantur, sed alia via remigrent in patriam suam. Sic fidelis Deus iis qui se suaque omnia semel ei obtulerunt. Est vero præterea moralis & mystica hujus reversionis, per aliam viam ratio

nempe ut Magi discerent se posse quidem visò Christo, repetere sua regna, sua negotia, & quicquid ante domesticum & civile agebant, sed non eodem modo & sine agendum, non ex naturæ depravatæ impetu, non turpis lucri, aut vanæ ambitionis gratiâ, sed rectæ rationis & divini ductu Numinis, ad supremi Dei cultum & æternæ beatitudinis consecutionem. Jamque illud meditabantur quod postmodum scripsit S. Petrus, *Ut jam non desiderii hominum, sed voluntati Dei quod reliquum est in carne, vivant temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam.*

Sic ad nos pie derivat S. Gregorius, hanc Magorum reversionem, dum ait, *Magnum vero nobis aliquid Magi inveniunt, quod in regionem suam per aliam viam revertuntur. Regio quippe nostra, paradysus est, ad quam Iesu cognito, redire per viam quæ venimus prohibemur. A regione etenim nostrâ superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo discessimus. sed ad eam necesse est, ut stendo & obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refranando, redeamus.*

Atque hinc Forma quædam Emendationis

P 2

vita,

In Ps. 55.

Luc. 19.

1. Petr. 4.

Hom. 10.  
in Evang.



vita, seu Renovationis spiritus datur, ut quando de hoc negotio agitur, seu quoties melioris vitæ consilia suscipiuntur, non ita spectet ut alio proficiscamur, quam ut aliã viã redeamus ad idem officium nostrum; Non aliud meditemur agendam, sed aliter; Non aliter in re & substantia, sed aliud in fine & modo. Quæ Veritas quia est valde practica & opportuna, idcirco præcipuã est consideratione digna. Sic autem aperte declaratur, Ibi sunt figenda melioris vitæ consilia, ubi magis deficiamus: hoc primum expendum, sive ille defectus vitiosus sit, sive imperfectio, aut perfectionis aliqua tantum privatio, si quid à nobis desideratur, si quid nimis aut minus fiat, si quid deniq; corrigendum & emendandum; nonne in id præcipue incumbit negotium Emendationis aut Renovationis vitæ? Nonne hinc illi Prophetarum questus, & lamenta; *Vulnus & livor & plaga tumens non est circumligata nec curata medicamine, neq; fota oleo. QVARE non est obducta cicatrix filia populi mei? QVO Dnfirmum fuit non consolidasti; & quod contractum est, non alligasti; & quod abiectum est, non reduxisti.* quasi dicerent, in defectibus emendandis erat posita tota vitæ emendatio.

If. 1.  
Ier. 8.  
Ezech. 34.  
Apoc. 2.  
& 3.  
L. 1. c. 19.  
& 25.

Sic in Apocalypsi Christus Dominus suos illos Angelos seu viros Angelicos & Pastores, in quibus potissimum deficiant, severe admonet & arguit. Sic denique auctor libri de Imitatione Christi, *Semper aliquid certi proponendum est, & contra illa præcipue qua amplius nos impediunt. Et alibi, Duo specialiter ad magnam emendationem juvant, videlicet subtrahere se violenter ad quod natura vitiosè inclinatur; & ferventer insistere pro bono quo amplius quis indiget. Res est seria, res salutis, res æternitatis: Itane apprehendis?*

II. PUNCTUM.

SED ordinariè magis deficiamus in modo & fine agendi, quam in substantia rerum agendarum. Institue aliquod tui examen. Vide vias tuas scito quid feceris, ait Propheta. A mane ad vespeream. A prima diei actione ad postremam, ubinã deficiis? in quo delinquis præcipue? Non deseris orationem, sed modum rite orandi? Non omittis divinum officium, sed attentionem & devotionem. Missam quotidie celebras, & satis crebro frequentas Poenitentia Sacramentum; sed quoniam modo? Sic in studio, in mensa, in relaxatione animi, in conversatione, & officio particulari, si quid peccas, nonne vel quia in his teipsum quaeris, tibi plus nimio complaces, nimis effunderis

107. 20

& dissiparis, non satis religiosè te contines? qui sunt omnes defectus circa modum & finem; nec tamen propterea contemnedi quasi leves & modici, cum ex fine præcipue iudicium feratur de actibus. Unde illa Domini celebris sententia; *Luc. 11. cerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. QVARE, inquit S. Gregorius, cum perversa intentione quid vel rectum agitur, esse splendere coram hominibus cernitur, apud examon tamen Interni Iudicij obscuratur. Huius te siste examini, & appesus in stateta; Vide num sis minus habens, minus rectæ intentionis, & minus perfecti operis. Horrendam nempe illud est quod ait Dominus per Prophetam: *Scrutabor Ierusalem in Lucernis & visitabo super viros defixos in facibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non facies bene Dominus, & non facies male?* Id est, qui sibi fingunt nihil boni aut mali esse coram Deo in illis suis actionibus, quas ex naturali genio potius faciunt quam spiritali motu.*

III. PUNCTUM.

NON ergo aliud, sed aliter: Non tam aliud in re & substantia quod facias, excogitandum tibi est, quam in modo & fine, ut emendes quod male & perperam facis. Nam idem tibi, ut supra dictum est, meditandi & orandi exercitium redit quotidie; idem officii persolvendi munus, idem pene studium, eademque tecum particularim, & cum aliis opera quotidiana, quæ nec mutare, nec augere, nec decurrere forsitan ita convenit, quam finem & modum adhibere, quibus perfecte magis & integrè digerantur. Ibi ergo curatio sit ubi vulnus, & ibi restauratio ubi iactura. *Scrutemur vias nostras, & revertamur ad Dominum. Iusid quod iustum est persequeris, ait Dominus. Et iterum, Qui enim custodierint iusta iuste, iustificabuntur. Id est, qui debito fine & modo. Sic Apostolus, hoc unum in se & aliis promovebat: *Imitatores mei estote fratres, & observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Rursumque aliis, Rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis. Descende ad singula, quemadmodum acceperis, quomodo te oporteat meditari, orare, conversari & vivere. Memor esto unde excideris. In mensa habo qualiter accepistis & audieris, & serva, & poenitentiam age.**

Vide Vtbo Renovatio. Emendatio.

DIE

Luc. 11.  
28. Mon.  
c. 13.  
Dan. 5.  
Sophon. 1.  
Dan. 1.  
Adum.  
Thren. 3.  
Deut. 16.  
Sap. 6.  
Phil. 3.  
1. Theff. 4.  
Apoc. 2.  
& 3.